



**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et
Principis Monasteriensis Decas**

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

28. Civitas Monasteriensis molitur propugnaculum ad D. Ludgeri portam.
Orta inde cum Capitulo Cathedrali controversia. Sopitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

1652.

28.

Mona-
sterien-
ses moli-
untur
novum
propu-
gnaculū.

Ortai-
de con-
trover-
sia.

Sub hæc moliebantur Monasteriensis propugnaculum ad Divi Ludgeri portam quod urbi eò loci munitionibus haud sati provisæ necessarium judicabant. Neque Senatus abnuebat, potiori parte ad id inclinatâ. Sed multis quod hortorum opportunitate exuerentur, privatâ jacturâ sollicitis, plurimis autem ærarij difficultaten obtendentibus propugnaculum ædificare tunc quidem intermissum est. Placuit te men Civitati conceptam munimenti formam, vestigiumque per aliquem machinariæ rei præfectum, designato extra portam loco, palis ac limitibus distinguere nec enim idcirco perficiendi operis necessitate compelli. Collegium Cathedrale jurisdictionem suam (quam tunc adhuc Urbis portæ, fossæque terminabant) eâ operis novi molitione violari interpretatur, compertoque solenni urbem denunciatione ne quidquam moveri, perticas Domini sui fundo insertas extrahi jubet. Magistratus, quod videret plenâ die, se coram, ad Urbis moenia, tantam Collegij ministri confidentiam esse, actutum capi eos imperat ac vinculis demandari. Capitulares super publicam jurisdictionis violationem privatâ pariter injuriâ irritatos se questi, Principem interpellant, ut suorum ipsius causæ prospiciat, nec contra jus, fasque Capituli jurisdictionem, eâ propugnaculum extru-

1652.

extinctione, comminui patiatur. Accitus igitur ad Principem Senatus, causam dixit, non fuisse istius Cives animi, ut inscio, invitoque Cathedrali Collegio munimentum extruerent, sed istâ tantum dimensione conceptam papyro formam paulò distinctiùs notâste, ut pluribus, planiusque constaret, & si vel sic arrideret forte, iustis super fundo conditionibus cum Capitulo convenirent. Nec sperâsse invitum illud, præsertim quod ad sui quoq; ac totius Cleri tutelam viderent pertinere. Prin- *A Prin-*
ceps verò incarceratorum dimissione, viatq; cipe
concordiæ imperatâ, natas super infixis compo-
tunc, turbatisque perticis simultates qui-
nitur.
 dem diremit: Verùm cæ biennio post, quandò Civitas posthabitâ Capituli contradictione, extendendis fossis, vallisq; suis intenta, prænotatam hoc anno molem perfecit, supra modum recruduître.

Nunc verò ad dictas omissæ munitio-
 nis causas & alia accesserat ex novâ, subi-
 tâque Urbis calamitate. Erat hæc æstas,
 ut pauca ea historiæ superaddam, con-
 tinuato si unquam tonitru memorabilis,
 præsertim quod nullo ferè per confines
 Provincias damno, in sola hac Dicœcesi
 fævire videretur. Etenim Monasterij, ne 29.
 plura memorem, turris nitrati pulveris *Fulmine*
receptaculum, ipso Commemorationis D. incensa
 Pauli festo, tacta fulmine, ingens urbi *turris*

E 5. dam-